

alios authores nobiles, reprehendit plusquam XLVI praeter eos quos Rheticis ac Poeticis libris refellit. Thaleta, Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Hermotimumⁱ, Diogenem, Xenophanem, Parmenidem, Zenonem, Melissum, Empedoclem,
5 Heraclitum, Leucippum, Democritum, Protagoram, Gorgiam, Leophanem, Antiphontem, Xuthum, Paronem, Lycophronem, Alcmaeonem, Hippasum, Hippomen, Critiam, Syenesim, Poly-
bum, Hippocratem Chium, Eudoxum, Aristippum, Epicharmum, Cratylum, Eurytum, Speusippum, Homerum, Hesiodum,
10 Euripidem, Sophoclem, Isocratem, Herodorum, Herodotum, Ctesiam, Pythagoram integrasque sectas Pythagoreos, Antistheniosⁱⁱ, Megaricos, Socratem et plusquam alium quemquam, Pla-
tonem, praceptorum quem LX et forte amplius locis nominatum
15 est insectatus: sic enim placuit homini isti, omnium, uti Aelianus tradidit, irrigori immerito vexare venerabilem illum senem cuius doctrinae uberrimis lactibus impinguatus fuerat, e schola eiicere et procacibus scriptis in omnem aeternitatem damnare.

Primi apud Graecos, Xenophanes ac Parmenides aliorum opiniones refutare sunt aggressi. Plato Sophistas omnes, phi-
20 losophum neminem praeter duos Anaxagoram atque Heraclitum arguit. Aristoteles (in hoc quoque adversarius Platoni) Philosophos omnes, Sophistam neminem praeter duos [292] Protagoram ac Gorgiam, non solum arguit, sed iurgiis etiam acerrimis incessit. Balbutientem enim Empedoclis atque om-
25 nium antiquorum philosophiam appellat. Xenophanem et Melissum ἀγροικοτέρουςⁱⁱⁱ, *agrestiores* vocat. Parmenidem oculatiorem tanquam alii caeci fuerint, nominat. παιδικάς^{iv}, *pueriles* illorum opiniones nuncupat. Anaxagoram et alios λίαν ἀπλῶς καὶ ἀσκέπτως^v, *nimirū simpliciter et inconsidera-*
30 *te* pronunciasse pronunciat. Saepissime εὐήθεις^{vi}, *ἀρχαίους*

ⁱ Corr. ex Hermotinum.

ⁱⁱ Corr. ex Antisthenios.

ⁱⁱⁱ Usp. ARIST. Metaph. 986b.27, ἀγροικότεροι.

^{iv} Usp. ARIST. Mete. 339b.34, τῆς παιδικῆς δόξης.

^v Usp. ARIST. Mete. 339b.34, λίαν ἀπλῶς καὶ ἀσκέπτως.

^{vi} Usp. ARIST. Mete. 365a.29 εὔηθες.